

De  
confirmatione episcoporum in ditionibus ordinis  
Teutonici septentrionalibus

P r o g r a m m a

ad  
commendandam civibus  
piam celebrationem

sacrorum Pentecostes

a  
Prorectore, Cancellario, Directore  
et  
reliquo Senatu Univ. Albertinae  
publice propositum.




---

Regiomonti Boruss. 11218/

Typis Academicis Hartungianis A. clb16CCCXIX.

621613



D.100/85

---

**P**rogrammatibus duobus de examine episcoporum a. XV. huj. sec. editis luculenter demonstravimus, neo-electos episcopos usque ad initium sec. IV. a vicinis co-episcopis, et postea, vigore canonis apost. XXXIII. ac IV. et VI. concilii Nicaeni I. a metropolitanis, praevia fidei et morum exploratione, confirmatos, metropolitanos autem a collegis, cathedras antiquiores occupantibus, e. gr. Constantinopolitanum ab Alexandrino, ordinatos esse. Crescente autem auctoritate Romani, Alexandrini et aliorum metropolitanorum superiorum s. Archiepiscoporum auctoritate, et definita in concilio Chalcedonensi can. IX. XVII. XXVIII. potestate patriarchali, eaque constitutionibus principum<sup>1)</sup> justo

---

1) Novella VI. Epil. §. I. „sanctissimi patriarchae uniuscuiusque dioecesis haec proponant in ecclesiis sub se constitutis et manifesta faciant Deo amabilibus metropolitans, quae a nobis constituta sunt. Illi quoque rursus etiam proponant ipsi ea in metropolitana sanctissima ecclesia, et constitutis sub se episcopis haec manifesta faciant: illorum vero singuli in propria ecclesia hoc proponant, ut nullus nostrae reipublicae ignoret, quae a nobis ad honorem et ad augmentum magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi disposita sunt.“ — Novella CXXIII. cap. XXII. „Siquis vero sanctissimorum episcoporum ejusdem synodi dubitationem aliquam ad invicem habeat, sive pro ecclesiastico jure, sive pro aliis quibusdam rebus: prius metropolita eorum cum aliis de sua synodo episcopis causam examinet et judicet, et si non rata habuerit utraque pars, quae judicata sunt, tunc beatissimus patriarcha dioeceseos illius inter eos audiat, et illa determinet, quae ecclesiasticis canonibus et legibus consonant, nulla parte ejus sententiae contradicere valente. Si autem et a clero, aut alio quocunque, aditio contra

plus aucta, patriarchae sibi arrogabant, ut omnes dioeceseos suae metropolitanos confirmarent et per se aut per legatos suos ordinarent<sup>2</sup>). Ex quo vero Gregorius M. et Bonifacius III. titulum patriarchae oecumenici ambiebant et ab imperatoribus Byzantinis variis artibus impetrabant, factum est, ut pontifex Romanus non solum episcopos in dioecesi sua suburbicaria, sed etiam exteros, praecipue in ecclesia occidentali, confirmare et iudicare auderet; resistantibus tamen, per longam annorum seriem, Mediolanensi, Aquilejensi, Ravennate, Africanis et Galliarum primatibus, e. g. Hincmaro, quem in examinandis<sup>3</sup>)

---

episcopum fiat propter quamlibet causam, apud sanctissimum ejus metropolitanam, secundum sacras regulas et nostras leges, causa judicetur, et si quis iudicatis contradixerit, ad beatissimum archiepiscopum et patriarcham dioeceseos illius referatur causa, et ille secundum canones et leges huic praebeat finem. Si vero contra metropolitanam talis aditio fiat ab episcopo, aut clero, aut alia quacumque persona, dioeceseos illius beatissimus patriarcha simili modo causam iudicet.“

- 2) De tota hac materia in primis dignus est, qui conferatur, ZIEGLER in: *Versuch einer pragmatischen Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen in den sechs ersten Jahrhunderten der Kirche*; pag. 272. sqq.
- 3) Justinianus quidem in Novella CXXIII. cap. XII. praecipere, clericos non aliter ordinandos esse, nisi literas scirent, et rectam fidem vitamque haberent honestam; et neque concubinam aut naturales habuerint, aut haberent filios, sed caste viventes aut uxorem legitimam et ipsam unam et primam habentes, neque viduam; neque separatam a viro, neque aliter legibus aut sacris canonibus interdictam: literarum tamen notitia in media, quae dicitur, aetate, apud occidentales tam arctis limitibus circumscribatur, ut exploratores jam acquiescerent, si ordinandus tantum latina legere et modos abbreviandi resolvere sciret. Cujus rei exemplum RECHENBERGIUS in diss. *de ineptiis Clericorum Romanensium*, §. V. affert, memoratu non indignum: Cum monachus epistolam Ottonis episcopi ad praelatum quandam, ex more ejusdem temporis, litterarum compendii exaratam, in tentamine, legeret, pronuciabat eam sic: „Otto Dei gram, rogat vestram clam, ut velit istum clincum clancum convertere in vivum diabolum;“ cum tamen verba non abbreviata haec referrent: „Otto, Dei gratia, rogat vestram clementiam, ut velit istum clericum conducere in vestrum diaconum.“ — Idem refert §. II. Davidem, Philippi Burgundiae ducis, cognomento boni, filium, episcopum Ultrajectinum, non solum ccc. ordinandos, tribus exceptis, examine instituto, removisse sed etiam monentibus, ingens ecclesiae dedecus

et confirmandis dioeceseos Rhemensis episcopis, ne ullam quidem mentionem Romani praesulis fecisse, ex programme sup. cit. II. pag. 8. luculenter apparet. Astutia demum consarcinatoris decretalium (Pseudo-) Isidori, et audacia Gregorii VII. jura metropolitanorum paullatim diminuta sunt, et primatus papae, in occidente saltem, stabilitus est, in quo infringendo non solum concilia tria celeberrima, Pisanum, Constantiense et Basileense, sed etiam monarchae catholici hactenus frustra laborarunt. Romana enim ecclesia cedere nescia, et, ubi papa, ibi Roma est.

Hinc celeberrimi inter Catholicos Ictos ecclesiasticos Germaniae, HONTHEMIUS <sup>4)</sup> RIEGGERUS <sup>5)</sup> et SCHENKL <sup>6)</sup> recte distinxerunt inter

fore, si pro trecentis tres tantum ad ordines admitterentur, respondisse: majus fore dedecus ecclesiae, si in ea pro hominibus admitterentur asini, et omnibus asinis stolidiores.

- 4) FERONIVS *de statu ecclesiae* p. 240: „Confirmatio et approbatio electionis, sive nominationis, primis ecclesiae seculis omnimodo erat penes episcopos ordinatores, i. e. metropolitanum cum suffraganeis, juxta canonem IV. Nicaenum, cui addendus canon XII. Synodi Laodicensae apud Harduinum, Tom. I. col. 783. seq. Quoniam tamen inter episcopos ordinatores primus et praeses est metropolitanus, neque semper omnibus comprovincialibus episcopis commodum esset, ad singulas episcoporum ordinationes convenire, sensim, ex quodam saltem tacito ecclesiae consensu, ad metropolitanum devolutum est jus discutiendae electionis, eamque vel ut canonicam probandi, vel reprobandi ut minus legitimam. Hanc metropolitani auctoritatem non obscure expressit in citato canone Nicaena synodus his verbis: potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum episcopum. In hujus sequelam Gratianus dist. LXIV. can. 8. ait: „Illud generaliter clarum est, quod si quis praeter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definit episcopum esse non oportere.“ Adde ejusdem distinctionis cap. 1. et 6. Inde etiam illud Innocentii I. ead. dist. can. 5. „Extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare episcopum.“ — Inde ab Alexandro 3. de episcoporum confirmatione a Romana sede obtinenda frequens est in jure mentio in cap. 1. 2. 3. et 4. X. de Translat. episc. cap. 15. 18. 19. 20. et 21. X. ut lite non contest. — Scilicet censuerunt pontifices, inducendam majorem episcoporum ab iis dependentiam, aut potius toleratum est, ut illi majorem sibi in hos auctoritatem attribuerent.“

- 5) *Institutiones jurisprudentiae ecclesiasticae*. P. II. pag. 110. et 111.

jura antiqua et hodierna archiepiscoporum. Quis igitur est, qui miratur, iam pristinis temporibus in Britannia, Germania aliisque terris septentrionalibus, a monachis ad mentem Rom. curiae obtemperantibus non solum linguam et ritus Romanorum in cultu Dei publico introductos, sed etiam disciplinam ecclesiasticam ad normam ecclesiae Romanae effectam, et hac ratione proceres ecclesiarum imperio papali plane subjectos esse. Ut verbis nostris fidem faciamus, ad duo tantum, prae multis aliis, clarissima exempla provocamus.

Augustinus, homo rudis quidem, neque minus tamen superbus atque astutus, papae in Anglia vicarius, totus a consiliis, imo praeceptis Gregorii M. pendebat, 7) ejusque in Germania imitator

6) P. MAURI SCHENKEL *institutiones juris ecclesiastici*, pag. 294.: „Jura metropolitaram olim amplissima et ea quidem, quae ad jurisdictionem spectabant, ferme erant, quod possent omnes suae provinciae episcopos confirmare et ordinare; provinciam visitare; subiectos sibi episcopos ad synodum convocare, et huic praesidere; eorum causas, saltem una cum synodo provinciali, diiudicare, et eosdem officii negligentibus corripere, punire; ab eorum sententia appellationes recipere; literas formatas, communicatorias et commendatitias episcopis peregre euntibus dare, et clericis datas examinare; omnium ad salutem totius provinciae pertinentium, et quarumvis maiorum causarum ad se relationem exposcere.“

7) Planck's Gesch. der Christl. Kirchl. Gesellschafts: Verf. 2r. Bd. pag. 704: „Von einer ganz eignen Art war jenes Verhältniß, in welches die Englische Kirche mit den Päbsten hineingekommen, und durch die Art ihrer Entstehung selbst hineingekommen war. Sie war ja eigentlich von ihnen gestiftet worden, denn Gregor 1. hatte zu Ende des 6ten Jahrh. den Mönch Augustin recht förmlich als seinen Missionär nach England geschickt, um die Insel wieder zum Christlichen Lande zu machen. Dadurch bekam der Römische Stuhl wenigstens Patriarchenrechte über die neue Englische Kirche, die selbst nach den Grundsätzen des ältesten Kirchenrechts von ihm abhängig wurde, weil sie durch ihn oder durch seine Verwendung ihre Existenz bekommen hatte. Doch diese Rechte machte ihm auch Niemand streitig. Man erkannte sie am unzweideutigsten dadurch, weil man ihm das Organisationsgeschäft der neuen Kirche nicht nur bei ihrer Entstehung allein überließ, sondern auch in der Folge jede Veränderung, die man darin vornahm, immer durch ihn sanctioniren und bestärken ließ. Man erkannte z. B., daß er allein das Recht habe, den Primat der englischen Kirche zu vergeben, der mit dem Erzbischof von Canterbury verbunden wurde. Man

strenuus, Bonifacius, Gregorio II. ante ordinationem iuramentum fidelitatis praestabat<sup>8)</sup> et ob fervorem tum in propaganda, tum in reformanda ad Romanam formulam religione Christiana, legatus sedis apostolicae creatus, sine sede fixa, in Hassia, Thuringia et Bavaria laborabat, usque dum honos metropoleos Germanorum ecclesiae Moguntinae daretur, et, ut *SEMLERUS*<sup>9)</sup> ex Mariano Scoto tradit, secun-

---

schickte daher selbst zuweilen die neuen Erzbischöfe von Canterbury nach Rom, um sie von dem Pabst consecriven zu lassen<sup>13)</sup> oder die Könige ersuchten sie selbst, ihnen einen zu schicken.<sup>14)</sup>

13) Wie im J. 665 der König Oswin den Presbyter Wyhard nach Rom schickte, um von dem Pabst Witatan consecrirt zu werden.

14) So kam der berühmte Theodor von Tarsus zu dem Erzbisthum von Canterbury.

8) *Sequentis tenoris: In nomine Domini Dei, salvatoris nostri Jesu Christi, imperante — promitto ego, Bonifacius, Dei gratia episcopus, tibi, beate Petre, apostolorum princeps, vicarioque tuo, beato Gregorio papae, & successoribus ejus, per parem et filium et spiritum sanctum, trinitatem inseparabilem et hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctae fidei catholicae exhibere, et in unitate ejusdem fidei, Deo operante persistere, in qua omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur; nullo modo me contra unitatem communis et universalis ecclesiae, suadente quopiam, consentire; sed (ut dixi) fidem et puritatem meam atque concursum tibi, et utilitatibus ecclesiae tuae, cui a Domino Deo potestas ligandi, solvendi que data est, et praedicto vicario tuo, atque successoribus ejus per omnia exhibere. Sed et si cognovero, antistites contra instituta antiqua sanctorum patrum conversari, cum iis nullam habere communionem aut coniunctionem; sed magis, si valero prohibere, prohibebo. Sin minus, fideliter statim Domino meo apostolico renunciabo. Quodsi (quod absit) contra hujus promissionis meae seriem aliquid facere quolibet modo seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar in aeterno judicio, ultionem Ananiae et Saphyrae incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere praesumpserunt. — Hunc etiam indiculum sacramenti ego Bonifacius exigens episcopus manu propria scripsi atque ponens supra sacratissimum corpus sancti Petri, ita ut praescriptum est; Deo teste et iudice feci sacramentum, quod et servare promitto.* *BARONII Annales Tom. IX. pag. 31.*

9) In dissert. de propagata per Bonifacium inter Germanos religione Christiana, pag. 27.

aus post papam haberetur Moguntinus archiepiscopus.<sup>10)</sup> Eadem fere ratione, in regionibus Europae septentrionalibus, pontifices Romani auctoritatem suam stabilire studuerunt. Borussia, ab ordine Teutonico subiugata, legatus pontificis, Guilielmus, in IV. dioeceses partiebatur, quarum episcopi metropolitano Gnesnensi, postea Rigensi, subiiciebantur.<sup>11)</sup> Nihilo tamen minus, crescente ordinis potestate, ejus magistri designabant capitulis ecclesiarum eligendos episcopos et electos ad suscipienda ordinis vota, nisi antea iam fratres ejus essent, alliciebant. Confirmationem quidem neolectorum praesulum a papa, devotissimae subiectionis specie, petebat ordinis magister, sed refractariis etiam gravissimas poenas infligebat, id quod ex tristi fato Theodorici a Cuba, Sambiensis episcopi, satis superque apparet.<sup>12)</sup>

---

10) Die Stifter der Deutschen Kirchen, Kilian, Ruprecht, Willebrodt und Bonifacius, waren Apostel des Papstes, und handelten nur in seinem Namen; alle von ihnen errichteten Bisthümer wurden dem Römischen Stuhl unterworfen, und ihre Vorsteher gelobten im J. 744. unter Anleitung des Bonifacius, willig und feierlich dem heiligen Petrus und seinem Nachfolger beständigen Gehorsam. Hiemit erkannten sie die Befugniß des Papstes an, das Suprematrecht über ihre Kirchen auszuüben, und, um sie in dieser Anerkennung zu befestigen, ernannte Gregor III. den Apostel zum Erzbischof von Mainz, zum Primas und zu seinem beständigen Vicarius in Deutschland.“ Fessler's Ansichten von Religion und Kirchenthum, II. Theil P. 318 und 319.

11) Arnold's Kirchengesch. des Königreichs Preußen, pag. 141.

12) Historia von Dietrich von Cuba, Bischof von Samland, wie er ist zu Lapiau vom Hn. Heinrich von Richtenberg gefangen und verhungert worden. (1474.) — Erläuterung Preußen; Tom. I. pag. 471. — „Man sagt auch und ist wahr, daß Pabst Sixtus, sobald ein Geschrei des jämmerlichen Todes gen Rom gekommen ist, im grimmigen Zorn gesagt habe: Deleatur illa pessima nigra crux; maledictus enim est ordo, ubi Laevis regit super Clerum. Doch ward der Pabst gestillet und zufrieden gesetzt durch eine Satisfaction. Sieben Männer, dazu vom Orden erkauft, stunden mit aufgereckten Fingern für dem Pabst, und schwuren: Wie daß Bischof Dietrich nicht dermaßen vom Orden umgebracht wäre, als wohl für seine Heiligkeit etliche Mißgönnner des Ordens fälschlich angetragen hätten, sondern er wäre eines rechten natürlichen Todes gestorben, so wahr ihnen Gott helfen sollte und seine lieben Heiligen. Da nun der Pabst dieses also Geschehene glanz



His paucis praemissis nunc exhibemus *Vobis, carissimi cives*, quatuor hactenus, quantum scimus, inedita diplomata, quae ex ordinis Teutonici tabulario nobiscum communicavit director ejus, dum viveret, famigeratissimus, Hennig, quaeque rationem illustrent, quae inter papam et magistrum ordinis, respectu confirmationis episcoporum, intercessit.

I.

Bonifacius IX. confirmat d. IX. Jul. c15CCCCII. Theodoricum episcopum Revaliensem <sup>13)</sup> eique facultatem largitur, magistro Livoniae professionem faciendi et vestem ordinis Teutonici assumendi.

*Bonifacius Episcopus servus servorum dei Dilecto filio Theoderico electo Revaliensi Salutem et apostolicam benedictionem Tue devocionis exigentibus meritis inducimur ut votis tuis illis presertim que tui ac ecclesie tue Revaliensis prosperi status augmentum conspiciunt. quantum cum deo possumus favorem benivolam impendamus. Sane nuper ecclesia predicta pastoris regimine destituta Nos eidem ecclesie de persona tua nobis et fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat tu ecclesiam predictam absque dilectorum filiorum magistri et fratrum Hospitalis beate Marie Theutonicorum Jerlemitan. sub quorum tuitione et dominio temporali dicta ecclesia consistit favoris presidio non speres fructuose regere posse, cupiasque propterea cum eisdem Magistro et fratribus sub regulari habitu virtutum domino famulari ac professionem per fratres ejusdem hospitalis emitti consuetam in manibus prefati Magistri emitte regularem ut ecclesie predictae ejusque cure regimini et administrationi utilius preesse valeas pariter et prodesse. Nos volentes te in hujusmodi tuo laudabili proposito confouere. Tuis in hac parte supplicationibus*

ben mussee, haßten dazu gar getrost etliche Curtisaner, die der Pabst auch sehr lieb hatte, und doch genanntem Bischof Dietrich nicht sehr günstig waren, auch vielleicht vom Orden großes Geschenk dazu genommen hatten.

13) Arndtii Lief. Chronik hujus Theoderici mentionem non facit.

*inclinati deuotioni tue huiusmodi habitum recipiendi et professionem predic-  
tam in manibus prefati magistri emittendi plenam et liberam auctoritatem  
apostolica tenore presencium licenciam elargimur Et insuper tecum ut etiam  
postquam in fratrem dicti hospitalis receptus fueris et habitum predictum  
assumpseris eandemque professionem emiseric ut presertur eidem ecclesie pro-  
esse ac curam regimen et administracionem predicta in spiritualibus et tem-  
poralibus gerere et exercere et quibuscumque constitucionibus apostolicis nec  
non statutis et consuetudinibus dicti Hospitalis contrariis juramento confir-  
macione apostolica uel quacumque firmitate alia roboratis nequaquam ob-  
stantibus auctoritate predicta harum serie dispensamus Nulli ergo omnino  
hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et dispensacionis infringere  
uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presump-  
serit indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum  
ejus se nouerit incursum Datum Rome apud sanctum Petrum VII.  
Idus Julii Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.*

## II.

Magister ordinis obsecrat a. d. CCCCLXXXIV. quendam cardi-  
nalem, ut favori papae commendare velit Godeschalcum, Curoniae  
episcopum, ad sedem metropolitanam Rigensem promovendum.

*Humilima recommendacione cum exhibicionis nostre sincerissima promp-  
titudine iugiter antemissis Reuerendissime pater et domine noster graciosis-  
sime Quis uidentium enumerare sufficit excidia et detrimenta irrecuperabi-  
lia que nos et ordo noster in certis bonis nedum ab infidelibus uerum etiam  
a cristicolis multifarie perpassi sumus Quodque hoc ipsum sepius et permax-  
ime ex eo contingit, quod nonnunquam in nostri ordinis territoriis presules  
seu ecclesiarum presciciuntur pastores qui tempore oportuno contra huiusmodi  
infidelium incursum suis nobis subuenire subsidii contradicunt. Cum igitur  
per Reuerendissimi patris et domini domini Johannis Habundi pie memorie  
nouiter extra Romanam Curiam defuncti obitum Rigensis uacauerit ecclesie  
que utique in nostri ordinis districtu ac in infidelium scismaticorum fau-  
cibus existit situata nec sine ejusdem ordinis nostri tuicione laboriosa poterit  
suc sistere bene salua Ad Reuerendissimos P. V. pedes prouoluti deuotissime  
supplicamus coram sanctissimo domino nostro domino Martino uniuersalis  
ecclesie presuli dignissimo precibus instare ac graciosissimis uestris interces-  
sionibus efficere dignemini Quatinus sanctitas sua Reuerendum in Christo  
patrem dominum Gotschalcum Curoniensis ecclesie prout episcopum nostri que*

ordinis professum Magistrum in artibus in jure canonico sufficienter peritum ac ligwagii<sup>14)</sup> et patrie Lyonie morum peroptime conscium ymmo ad ipsam sanctam Rigensem ecclesiam gubernandam ydoneum et perutilem ob meritum suorum et virtutum exigencias ad eandem Rigensem ecclesiam transferre ac ipsum de solita benignitatis sue graciola clemencia in ejusdem ecclesie Archiepiscopum proficere dignetur et pastorem Confidite pater Reuerendissime, quod non animi leuitate nec alterius occasionis sed consciencie nostre scribimus puritate, quod nec memorate ecclesie Capitulum venerabile quod reuera nostri ordinis habitum constat inuestitum nec vasalli ipsius seu subditi cum suis consinantibus in pacis amenitate caritatis suauitate et profectuum multitudine nisi per memorati domini Gotschalci qui eciam dicti ordinis nostri est professus gubernationis medium se potuerit confouere Quae qualia et quanta sancte Romane ecclesie pericula christianitati discrimina et dicte ecclesie Rigensi suis cum subditis et vicinis dissidia si secus fieret euenire timemus ordinis nostri in Curia Romana procuratori generali Reuerendissime P. V. creature deuotissime distinctius commisimus per ordinem exponere Quam altissimus ad tempora dignetur optata conseruare pro regimine ecclesie sue sancte feliciter et longeuo. Datum etc.

### III.

Eugenius IV. hortatur a. c15CCCCXLI. episcopum Culmensem ne ad concilium Basileense proficiscatur, eique simul mandat, ut archiepiscopo Rigensi scribat ne concilium illud agnoscat. Si votis ejus non paruerit, ecclesiam culmensem ab inspectione dicti Archiepiscopi exemtam iri,

Eugenius Episcopus Seruus seruorum dei Venerabili fratri Episcopo Culmensi Salutem et apostolicam benedictionem. Vidisti venerabilis frater execrabilem fructum, quem peperit perfida Basiliensis Synagoga, que cum palam predicaret, se ad reformandam Ecclesiam, et pacem ponendam, inter principes congregatam postea vitulum aureum erexit ad scindendam Ecclesiam, et ad ponendum gladium in populo christiano, magna hec delusio et abhominabilis fuit sub specie pacis et reformationis scandala et scissuram ecclesie fabricasse, ut miremur multum esse, aliquos tam stultos et ebetis cordis, qui sana conscientia adherere, aut fauere tantis erro-

14) In antiquis documentis ligwa et ligwagium pro lingua et linguagium, sagwis pro sanguis legitur.

ribus queat Sed tamen Sator scandalorum Sathanas adeo versutus semper  
 fuit ut semper scindere dei populum conatus fuerit, et multos perdicionis  
 alumpos attraxerit in sententiam suam, Tu vero tamquam deuocionis filius,  
 reice falsos prophetas, qui tuam et tue gregis animas deducere in interi-  
 tum conantur, Resiste aduersus has dyaboli temptaciones, et in solita tua  
 fide et pristina erga Nos et Romanam Ecclesiam deuocione persiste, fuisti  
 enim semper Bonus noster et sedis apostolice filius, neque unquam dedisti  
 locum similibus scandalis, sed semper firmus permansisti, tamquam supra  
 petram fundatus in unitate Sancte Romane Ecclesie, et scismata respuisti,  
 oppugnando illos qui Romanum Pontificem impugnarent, sed precipue Basi-  
 liense Ydolum execrandum, repelle a cogitacionibus et mente tua, cum  
 ipse et sui adherentes et sequaces per processus et sententias apostolicas,  
 quos ad tuam fraternitatem nam illos per uniuersum orbem fecimus publicari  
 delatas credimus sint dampnati, tamquam heretici et Scismatici, neque  
 tibi, cum illius ydoli Cultoribus sit ullum commercium, sed repelle a te  
 tamquam oues morbidas, ne ceteros possint corrumpere Ceterum audiuius  
 Archiepiscopum Rigensem deuiasse a pristina sua erga nos fide, et adhe-  
 sisse Basiliensi perfidie, eorumque sententias acceptasse et publicasse,  
 que si vera sunt dolemus propter eum et suos subditos, qui cum deberet  
 esse pastor et saluare oues sibi commissas, deducit eas ad puteum inte-  
 ritus, et tamquam Cecus ducatum cecis prestare conatur, neque erubescit  
 se solum ferme tam praua sentire Cum nullus Rex neque Princeps Christia-  
 nus ex iis, qui recte principes dici possunt, illi credat, neque eciam pre-  
 lati aliqui nisi pauci uel premio uel spe corrupti, Itaque exhortamur in domino tuam  
 fraternitatem primum ut immobilis perseueres in pristina tua erga nos et  
 Ecclesiam prefatam fide et deuocione, deinde ut hortaris prefatum Ar-  
 chiepiscopum, ut idipsum in domino uelit sapere et sequi sana consilia,  
 quod si recusaret, sit tibi tamquam ethnucus (sic) et publicanus, et ipsum  
 omnino repelle tamquam hereticum et scismaticum, neque in aliquo ei pareas,  
 Nam te ab omni fidelitatis Iuramento sibi per te forsam quomodolibet pre-  
 stito, tenore presencium absoluimus et eximimus ab omni ejus potestate  
 et iurisdictione. Copiam vero processuum mittimus ad te ut si forsitan  
 malignancium peruersitas illos occultasset, nota sit illius Ydoli et suo-  
 rum fauorum damnacio, Cum nero audierimus bone memorie quondam  
 Paulum Generalem Magistrum Hospitalis Beate Marie Theutunicorum ex  
 hac uita migrasse ad dominum, exhortamur per nostras litteras Dilectos  
 filios Conuentum dicti Hospitalis, ut sibi successorem eligant uirum bonum  
 qui sequatur sui predecessoris fidem et deuocionem erga nos et Ecclesiam  
 Romanam, que dicti Ordinis est mater et protectrix, fuit enim semper  
 predecessor ipse bonus noster et Ecclesie filius, neque unquam deuiavit  
 a nostra deuocione, sed semper restitit Basiliensi iniquitati et perfidie,

pro defensione nostre et dicte sedis auctoritatis et status, cujus prudentiam tu quoque imitari uelis, ut sic filius lucis ab omnibus valeas appellari Datum Florentie Anno Incarnacionis dominice Millesimoquadringsentesimo quadragesimoprimo Quarto Idus Maii Pontificatus nostri Anno Undecimo  
W. Colezcoen.

IV.

Joannes a Mengede, Osthoff dictus, Magister Livoniae, petit a. c15CCCCLVI. confirmationem electi a capitulo ecclesie cathedralis Curoniensis episcopi, D. Pauli Einwalt a Walteris.

Beatissime ac clementissime Pater ac gratiosissime domine post debita beatorum pedum oscula humilima subieccione ac recommendacione pariter et debita reuerencia premissa Ante aliquot dies videlicet ipso die ante penultimam mensis precedentis Novembris Reuerendus in Christo pater Dominus Johannes V. S. ecclesie Curoniensis Episcopus obdormiuit in domino cujus anima feliciter requiescat Ne uero ecclesia ipsa sic pastoris solacio destituta per vacationem diuturnam sue viduitatis deploraret incommoda ac in spiritualibus et temporalibus detrimenta pateretur Venerabiles viri domini Prepositus Decanus et Capitulum predicte ecclesie ordinationem pro futuro Pontifice ut moris est et canonicum habentes inuocata gracia spiritus sancti per decantacionem misse solemnis de sancto spiritu vota sua omnes unanimitate nullo eorum penitus ab altero discrepante et ut firmiter creditur spiritus sancti gracia inspirati direxerunt concorditer in Egregium et preclarum virum Dominum Paulum Eynwalt de Walteris decretorum doctorem clericum secularem in minoribus ordinibus et legitima etate constitutum ac ipsum in dicte ecclesie vestre Curoniensis et eorum concorditer postularunt Episcopum et Pastorem virum utique a deo virtutibus pluribus decoratum providum circumspectum et maturum literarum sciencia preditum vite ac morum honestate commendatum de legitimo matrimonio procreatum aput me ordinemque meum non solum verum et aput Reuerendos patres et dominos Prelatos majoresque et subditos tocius hujus terre liuonie laudabiliter et approbate conuersatum notum taliter et gratum quod Reuerendus Pater Episcopus Curoniensis pie memorie defunctus dum viueret ac sane mentis licet senio valetudineque grauatus esset.

Juris permissione que ecclesiis in remotis existentibus prouisum est ne  
 paciantur dispendia cum consilio et assensu capituli in suum coadiutorem  
 administratoremque ecclesie predictae yconomum et vicedominum assumpsit  
 quemadmodum hec et alia satis patent ex decreto postulacionis per dictum  
 capitulum Curoniensis ecclesie hac in re beatitudini vestre transmissio Idem  
 etiam dominus Episcopus Curoniensis defunctus sola ecclesie reique publice  
 vtilitate pensata mentem consideracionemque suam in dictum dominum Pau-  
 lum nunc postulatum ita stabilivit ut ob suorum meritorum insignia pre-  
 claramque famam qua dudum resplenduit motu proprio pia ac paterna  
 dulcedine ad nullius viuents exhortacionem seu requisicionem ecclesiam  
 suam Curoniensem quam aliquamdiu salubriter rexit pariter et vtiliter ac  
 fructuose gubernavit si et inquantum V. B. benigna clemencia id ipsum  
 misericorditer (incl) admittere dignata fuisset resignare ac quatenus idem  
 D. Paulus prefate ecclesie proficeretur operam dare intendebat ut sic illum  
 sibi quamplurimis aliis et patrie gratum non petentem sed vtiq; tractum  
 et tamquam vocatum a deo vt Aaron gratiam nouo more prouectum conse-  
 cratum non tam successorem in cathedram quam accessorem coepiscopum  
 in vita sua ejusdemque vite sue ac senectutis solacium sustentaculumque  
 de gracia et benignitatis vestre indulgencia speciali habere potuisset Sed  
 sortis humane condicio que ipsum de medio substulit in causa fuit quare  
 suum hac in parte propositum non impleuit. Vnde clementissime ac gra-  
 ciosissime domine sincere ac fidelissima affectione V. B. quibus valeo hu-  
 milioribus supplico precibus quatinus et si postulacio graciae inuitatur ta-  
 men ecclesiarum omnium disposicionem ad S. V. pertinere profiteor. e v.  
 clemencia pium meum plurimumque aliorum in istis partibus Liuonie majo-  
 rum virorum votum ac eorum et simul meas humilimas preces misericordi-  
 ter exaudire virumque illum vtiq; vt premittitur virtuosum et ydoneum  
 atque gratum patrie non reicere sed postulacionem ipsam in tanta concor-  
 dia optimo Zelo et per inspirationem diuinam indubitanter pro pacifico  
 hujus terre Liuonie conseruando statu hijs tribulacionibus ordinis mei et  
 gverris nephandissimis in Prussia currentibus celebratam pro conserua-  
 cione ordinis mei quem sedes apostolica ab inicio benigno consuevit fauore  
 prosequi de benignitate consueta propicius admittere et confirmare seu si  
 oportuerit sibi prouidere, dignetur Eos quoque et presertim venerabilem  
 virum Dominum Jodocum Hogensteyn fratrem et procuratorem generalem  
 Ordinis mei in Curia Romana aliosque qui hanc rem apud e. b. v. (i. e.  
 enim Beatitudinem Vestram) et in ejus Curia sollicitabunt misericordi oculo  
 respicere. In hoc rem deo gratam et ecclesie proficuum haut dubium effi-  
 ciet S. V. que et dignetur excusatum habere clementer D. postulatum  
 quod se conspectui S. V. personaliter non presentet. causa est tribulacio

*Ordinis mei in Prussia quoniam insultus hostium cottidie verisimiliter omnes pertimescimus et eodem D. postulato pro hujus terre Lituonie conseruando pacifico statu ad quem opera et industria ejus quamplurimum concurrere solent indigemus Vestram S. pro ecclesie sue sancte salubri regimine ac meo Ordinisque mei ac aliorum virorum fidelium singularissima consolatione altissimus feliciter conseruare dignetur tempora per longiora Datum in Castro ordinis mei apud ciuitatem Rigensem XIII. Mensis Decembris Anno MCCCCLVI to. E. S. V. deuotissima creatura Frater Johannes dea Mengede alias Osthoff Magister beate Marie theotonicorum per Lyuoniam*

Venimus nunc ad id, cujus causa haec praemisimus, nempe ad commendandam Christianis iuuenibus dignam celebrationem festi pentecostes. Cogitetis serio, *Cives carissimi*, quanta beneficia Deus per filium suum humano generi largitus sit, ac reputetis, spiritum sanctum, in apostolos effusum, meliora docuisse homines, quam sapientissimi Graecorum et Romanorum unquam protulerunt. Christianos decet *τα δὲ ἄνω ζητεῖν*. Quo tendere demum Vobis licebit, si spiritus ille diuinus per fidem et laetam conscientiam in animis vestris habitat, Vosque vere liberos a praepudicatis vanis opinionibus et turpissima libidinum tyrannide reddat. A nemine Vestrum procul est, modo attendatis ad monita ejus. Id est, quod vel maxime decet omnes, qui Christi profitentur nomen.

P. P. in Vniuersitate Albertina, die I. pentecostes, a. cIoCCCXIX.

—————



Biblioteka  
Główna  
UMK Toruń

621613

2

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Biblioteka Główna UMK



300020693513





Biblioteka  
Główna  
UMK Toruń

621613

